

homines humiles, & parvuli in oculis suis, & imperiti scientiarum sacerdotalium, quales fuerunt multi Prophetæ, & Apostoli, & ingens numerus Monachorum, & Virginum sanctorum, nec non verè puerorum, qui in tenera aetate adeo perfectè cognoverunt gloriam Dei, & admirabile nomen eius, ut pro ipso mortem oppetere non dubitarent. In hoc sensu allegauit Dominus hunc Psalmum in Euagelio, Nunquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? Matth. 21. Inimici autem dicuntur Sapientes huius mundi, & defensores ipsorum, qui, quamuis Deum cognoverint, tamen non sicut Deum glorificaverunt, ideo insipientes facti sunt, ut Apostolus docet ad Rom. 1. Quod dicitur, ut destruas, in Hebreo est, Ut quiescere facias; sed sensus est idem. Nam non loquitur Psalmus de destructione personæ, sed sapientie, iuxta illud Isaiae, Perdam sapientiam sapientum; & illud Apostoli 1. Cor. 1. Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi.

IV. Quoniam video cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti.

Sanctus Dauid ponit se in numero infantium, & lactentium laudatum Deum; quasi dicat, Certè ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Nam ego unus ex illis, quippe qui pastor ouium eram, tuas laudes perficiam. Quoniam video cœlos tuos, id est, considerabo attentè admirabile illud opus manuum tuarum, & inde laudabo te tanti operis creatorem. Illud, tuos, non est in Graeco, tamen est in Hebreo, & inde in editionem nostram recte translatum fuit. cur autem dixerit, tuos, declarat dicens, opera digitorum tuorum: nec dicit opera brachiorum, sed digitorum, tum ut ostendat summa facilitate cœlos à Deo fuisse conditos; tum quia digitis fiunt opera subtilia, & preciosa, ad quæ facienda ingenium, non labor requiritur: non meminit Solis, sed Lunæ tantum, & stellarum, quia tempore nocturno contemplari solebat Dauid; quoniam tempus illud ob quiet-

tem contemplationi aptius est. Media nocte, inquit, surgebam ad confitendum tibi. Et alibi, In matutinis meditabor in te. Sic ut etiam Isaia, Anima mea desiderauit te in nocte. Noctu autem cœlum videtur Luna, & stellis ornatum; deniq; verbum, fundasti, significat cœlos, Lunam, & stellas ex nihilo creata, quasi dicat Propheta, quæ tu à fundamento fecisti, cum antea nihil eorum extaret.

Quid est homo, quod memor es v. eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Ex magnitudine Dei iam declarata, accedit ad extollendam magnitudinem Dei erga homines. Quid est, inquit, homo, quod tu creator cœli, & terræ dignaris eius recordari? Quasi dicat, maximum est hoc beneficium, quod altissimus Deus dignetur meminisse hominis, qui est puluis & cinis. Quia verò istud, recordari in Deo non est simplex memoria, sed est recordari ad beneficiandum; addit explicans, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Homo, & filius hominis hoc loco idem significant, nisi forte ponatur hæc distinctio ad significandum beneficia Dei non esse collata in solùm primum hominem, qui fuit homo, sed non filius hominis; sed etiam in omnes posteros, qui ita sunt homines, ut sint etiam filii hominum. Visitatio autem significat specialem prouidentiam, quam Deus habet erga homines, sed etiam præcipue illam quam Deus ostendit, cū venit in hunc mundum, & assumpsit humanam naturam, & in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Hæc est propriè visitatio, de qua Zacharias in Cantico Luc. 1. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebi suæ: & infra, Visitauit nos oriens ex alto. Hæc sane visitatio maximè meretur illam admiracionem, Quid est homo, &c.

Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituesti eum super opera manuum tuarum. VII.

Hæc